



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Vtrum per Baptismum liberetur homo ab omni pœna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

virtutem habet tollendi mortalia peccata, habeat etiam tollendi venialia, si homo sit dispositus, seu obicem non ponat: quia hic effectus minor est, & eiusdem ordinis cum illo, seu subordinatus illi. Secundo modo potest formari ratio D. Thomae, quia per Baptismum ita iustificatur homo, ut omnino censetur mori vitæ præteritæ, & in nouum hominem restitui: unde in alio loco Ezechielis dicitur accipere nouum cor, & nouum spiritum: omnia autem peccata ante Baptismum commissa pertinent ad veterem vitam: ergo omnia illa pereunt, & suffocantur in baptis-
mate.

In solutione ad primum, rationem reddit D. Thomas, cur per generationem Baptismi non solum tollatur originale peccatum, sed etiam alia, cum per regenerationem carnalem ex Adamo solum originale peccatum confahamus, & non alia: & rationem reddit, quia efficacior est virtus Christi, quam defectus Adæ. Quod confirmat ex illo, ad Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum: & infra. Non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Quorum verborum sensus est, Christi donum esse efficacius. Nam lapsus Adæ solum vnum delictum potuit in posteros transfundere: Christi autem meritum non solum illud peccatum, sed & reliqua omnia, quæ omnes homines postea committunt, potest auferre. Atque ita exponunt ibi Chrysostr. serm. 10. Theodoret. Theoph. Ambros. & alij, & August. quem D. Tho. citat. Quod testimonium, & ratio in illo fundata, recte procedit de virtute Christi in communi: tamen quia hæc virtus non solum per Baptismum, sed etiam per alia media applicatur, ideo non videtur tam efficaciter procedere in particulari de Baptismo. Sed dicendum est, illa ratione probari, habuisse Christum virtutem ad instituendum talem modum regenerationis, quo omnia peccata deleantur, & hoc est, quod immediate probat D. Thom. Nam quod oportuerit hanc regenerationem esse in huiusmodi, in corp. artic. satis probatum est. Atque eodem sensu accipiendum est, quod in solutione ad tertium dicit D. Thom. Baptismum esse remedium sufficiens ad omnia genera peccatorum tollenda, quia passio Christi, in cuius virtute operatur, est vniuersalis medicina omnium peccatorum. Videri enim potest hæc ratio insufficiens: quoniam similiter inferri posset Sacramentum Pœnitentiæ, Extremæ vniuersionis, & alia sufficere ad omnia peccata tollenda: quoniam operantur in virtute passionis Christi, quæ est vniuersalis medicina. Igitur ex illo principio solum intendit D. Thom. concludere, in passione Christi esse virtutem sufficientem ad instituendum aliquod Sacramentum, quod vniuersaliter delet omnia peccata: quod autem communicauerit hanc virtutem Baptismo, quodque ad hunc effectum sit specialis ratio in illo magis, quam in aliis sacramentis, ex aliis principiis iam in finuatis probatum supponitur.

In solutione ad secundum, tangit D. Tho. questionem de necessitate Baptismi ad prædictum effectum, quam paulo post ex professo disputabimus.

Rom. 5.
Chrysostr.
Theodor.
Theophyl.
Ambros.
August.

ARTICVLVS II.

Vtrum per Baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati.

Sup. 68. ar. 5.
Ch. 3. d. 19. ar. 3. q. 2. Et 4.
Apostol. Rom. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa d. 4. q. 2. ar. 1.
q. 1. Et 3. q. 1.
1. d. 7. q. 1.
a. 1. q. 1. Et 4.
com. a. 58. 59.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod per Baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim apostolus, Rom. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa non ordinatur, nisi per penam, vt August. dicit. Ergo per Baptismum non tollitur reatus penæ præcedentium peccatorum.

2. Præterea, Effectus sacramenti aliam similitudinem

habet cum ipso sacramento: quia sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurans: vt supra dictum est. * Sed ablutio baptismi aliam habet quidem similitudinem in cum ablu-
tione macula: nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus penæ. Non ergo per Baptismum tollitur reatus penæ.

3. Præterea, Sublato reatu penæ, aliquis non remanet dignus penæ: & ita iniustum esset eum puniri. Siquis per Baptismum tollitur reatus penæ, iniustum esset, post Baptismum suspendere latronem, qui ante homicidium commisit: & ita per Baptismum tollitur rigor humane disciplina: quod est inconueniens. Non ergo per Baptismum tollitur reatus penæ.

Sed contra est, quod Ambros. dicit super illud, Rom. 11. Sine pœnitentiâ sunt dona Dei & vocatio. Gratia, inquit, Dei in Baptismo gratis omnia condonat.

R. spondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) per Baptismum aliquis incorporatur passioni & morti Christi, secundum illud Roman. cap. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad redimendum, ac si ipse passus & mortuus esset. Passio autem Christi (sicut dictum est) est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius penæ sibi debita pro peccatis, ac si ipse sufficeret satisfactio pro omnibus peccatis suis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia pena passionis Christi communicatur baptizato, in quantum sit membrum Christi, ac si ipse penam illam sustinisset, ideo eius peccata remanent ordinata per penam passionis Christi.

Ad secundum dicendum, quod aqua non solum abluat, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus penæ, sicut sua ablutione significat emundationem à culpa.

Ad tertium dicendum, quod in penis, quæ iudicio humano, inferuntur, non solum attenditur, quia pena sit homo dignus, quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus, quoad homines qui læsi & scandalizati sunt per peccatum alicuius. Et ideo licet homicida per Baptismum liberetur à reatu penæ, quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc, quoad homines, quos iniustum est adiciari de penâ, sicut sunt scandalizati de culpa. Pœnâ tamen talibus princeps possit penam indulgere.

COMMENTARIVS.

Per reatum peccati intelligit D. Thomas obligationem ad penam temporalem. Nam obligatio ad æternam penam cum ipsa culpa necessario tollitur. Nam licet formaliter non sit ipsa culpa, sed effectus, vel proprietates illius, est tamen ita per se coniuncta cum macula culpæ mortalis, vt sit inseparabilis ab ipsa saltem secundum legem Dei ordinariam. Solet autem sæpe, ablata culpa, manere obligatio ad penam temporalem, vt inferius tractando de Sacramento Pœnitentiæ dicendum est: & ideo merito inquit D. Thomas: an ita etiam contingat in baptizatis, & respondet, per se loquendo, non ita contingere, sed Baptismum per se & virtute sua, delendo culpam, redimere omnem penam, atque adeo omnem obligationem ad penam manentem ex culpa. Dico autem, per se & virtute sua, quoniam ad hunc effectum nulla est satisfactio necessaria ex parte suscipientis sacramentum, neque alia dispositio præter illam, quæ necessaria est ad remissionem culpæ. Vnde sic, hunc effectum nunquam impeditur, nisi per obicem, quo remissio culpæ impediatur, quia remissa culpa, nihil est quod obitare possit ad remissionem penæ, si ex parte hominis nulla satisfactio est necessaria. Hanc vero conclusionem sic explicatam optime probat D. Thomas in argumento. Sed contra: ex Ambrosio, ad Roman. 11. in quo præter

Præter verba, quæ D. Thom. assert, notanda sunt illa: Gratia Dei in baptisimo non querit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solum ex corde professionem. In corpore vero articuli fere non assert D. Tho. rationem distinctam à ratione præcedentis articuli, & ideo nihil hoc loco addere oportet: nam de re ipsa statim disputaturi sumus. Solutiones autem argumentorum claræ sunt. Solum est notanda solutio ad tertium, in qua D. Thom. declarat conclusionem positam intelligendam esse de reatu peccati respectu Dei, non vero respectu Reipublicæ, seu temporalis Principis. Nam licet peccata sint coram Deo remissa, potest manere homo obligatus coram hominibus ad poenam humanam, seu corporalem: quia est distincta ratio huius poenæ, & fieri potest, vt non fit illi satisfactum, vel etiam, vt non expediat, ablata vna poena alteram auferri: & ita inquit D. Th. contingere in Baptismo, qui solum est institutus ad tollendum culpam & poenam coram Deo, non tamen coram hominibus, quos iustum est, (inquit) edificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa, possentque homines occasionem sumere multiplicandi publica peccata ante baptismum, si scirent, nullum eis superesse humanum supplicium, si baptizari vellent: vt etiam possent occasionem sumere sicte accedendi ad Baptisimum, vt euaderent humanum supplicium. Addit vero D. Thom. pie posse Principem huiusmodi poenam remittere his, qui ad fidem conuertuntur, & baptizantur, quo intelligendum existimo de supremo Principe, vel qui ab eo habet potestatem dispensandi in legibus humanis.

ARTICVLVS III.

Verum per Baptisimum debeant auferri poenales præsentis vitæ.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod per Baptisimum debeant auferri poenales præsentis vitæ. Vt enim Apostolus dicit, Rom. 5. Donum Christi potentius est, quam peccatum Adæ. Sed per peccatum Adæ (vt ibidem Apostolus dicit) mors in hunc mundum intrauit, & per consequens omnes alia poenales præsentis vitæ. Ergo multo magis per donum Christi, quod in Baptismo percipitur, homo à poenali reatu præsentis vitæ debet liberari.

2. Præterea, Baptismus auferit & culpam originalem & actuale, sicut supra dictum est. Sic autem auferit actuale culpam, quod liberat ab omni reatu poenæ consequente actuale culpam. Ergo etiam liberat à poenali reatu præsentis vitæ, qui sunt poenæ à originali peccati.

3. Præterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed causa harum poenaliatum est peccatum originale, quod tollitur per Baptisimum. Ergo non debent huiusmodi poenales remanere.

Sed contra est, quod super illud Roman. 6. Destruatur corpus peccati, dicit Gloss. Per Baptisimum id agitur, vt verus homo crucifigatur, & corpus peccati destruat: non ita, vt in ipso viuente carnis concupiscentia respersa, & innata repente absumatur, & non sit, sed ne obit mortuo, qua inerat nato. Ergo pari ratione, nec alia poenales per Baptisimum tolluntur.

Respondet dicendum, quod Baptismus habet virtutem auferendi poenales præsentis vitæ, non tamen eas auferit in præsentis vitæ, sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, vt dicitur, 1. Cor. 15. Et hoc rationaliter primo quidem, quia per Baptisimum homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius, vt supra dictum est. Et ideo conueniens est, vt id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite, Christus autem à principio sua conceptionis fuit plenus gratia & virtute: habuit tamen corpus passibile, quod post passionem & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Vnde & Christianus in Ba-

pismo gratiam consequitur, quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Vnde Apostolus dicit, ad Roman. 8. Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis: & infra codicem, Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi si amen compatimur, vt & simul glorificemur. Secundo, hoc est conueniens propter spirituale exercitium, vt videlicet contra concupiscentiam & alias passibilitates pugnet homo, victoria coronam acciperet. Vnde super illud, Roman. 6. Vt destruat corpus peccati, & dicit Gloss. Si post Baptisimum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, quamq, adiuuante Deo superet. In cuius figuram dicitur Iudic. 3. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israel, & postea discerem filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem praliandi. Tertio hoc fuit conueniens, ne homines ad Baptisimum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Vnde & Apostolus dicit, 1. Corinth. 5. Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut gloss. dicit Roman. 6. super illud: Vt vitra non seruamus peccato, sicut aliquis capiens hostem atrocissimum, non statim interficit eum, sed paritur eum cum dedecore & dolore aliquantulum viuere: ita & Christus poenam prius alligauit, in futuro autem perimet.

Ad secundum dicendum, quod sicut ibidem dicit gloss. duplex est poena peccati, gehennalis & temporalis: Gehennalem prorsus deleuit Christus, vt eam non sentiant baptizati & repenitentes: Temporalem vero nondum penitus tollit, manet enim fames, sitis & mors & huiusmodi. Sed regnum & dominium eius deiecit, vt scilicet hoc homo non timeat, & tandem in nouissimo eandem penitus exterminabit.

Ad tertium dicendum, quod sicut in 2. parte dictum est peccatum originale hoc modo processit, quod primo persona inficitur naturam, postmodum vero natura inficit personam, Christus vero conuerso ordine prius reparat id, quod persona est, & postmodum simul in omnibus reparabit, id, quod natura est. Et ideo culpam originalem peccati, & etiam poenam carentia visionis diuine, qua respiciunt personam, statim per Baptisimum tollit ab homine, sed poenales præsentis vitæ (sicut mors, famis sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturam ex cuius principis causantur prout est delicta originali iustitia. Et ideo isti defectus non tolluntur nisi in vltima reparatione naturæ per resurrectionem gloriosam.

COMMENTARIVS.

Cum satis constet experientia huiusmodi poenales, quæ sunt fomes peccati, mors, & alia huiusmodi, non auferri per Baptisimum, quamdiu præsentis vita durat, D. Thomas solum mouet præsentem questionem, vt rationem reddat huius institutionis, Certum est enim, Baptisimum non carere hac virtute, eo quod non potuerit Christus eam ipsi communicare. Nam cum virtus Christi sit infinita, certum est, potuisse hanc vim conferre Baptismo. Quin potius addit D. Thomas, Baptisimum reuera habere hanc vim ex virtute Christi, non tamen statim exercendam, sed suo tempore, nimirum in statu gloria, in quo reformabitur corpus nostrum, & surget immortalis, & simile corpori Christi propter inhabitantem spiritum eius in nobis, quem per Baptisimum accipimus, quæ est doctrina Augustini libro 6. Genes. ad litter. capite 20. & sequentibus. Quod ergo Christus non dederit Baptismo, vt statim hoc faciat, non est, quia non potuit, sed quia non oportuit. Huius autem rei tres assert congruentias Diuus Thomas. Prima est, quia per Baptisimum incorporamur Christo. Cum ergo Christus in hac vita fuerit passibilis & mortalis, non oportuit nos statim fieri immortales.